



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

Caput quadragesimum octavum. Apostoli Jesu piscatores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Principes vero Zabulon & Nephtholim, reliqui fere Apostoli, qui Galilæa sunt orti, in qua Zabulonitis tribus & Nephthalitis. In eadem sententiam conspirat Isaïas hoc prædicto, quod subjunximus in Parallelismo: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali, & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilæa gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbra mortis, lux orta est eis.* Sibi itaque lucem commodant Psaltes & Isaïas, sibi que consentiunt. Qui plura volet, consulat Eusebium libro nono Demonstrationis; item Theodoretum, Hilarium, Augustinum, & Auctorem Expositionis Psalmorum, quæ Hieronymi operibus subnecti solet.

II. Interim hoc etiam obiter adnotare libet, quod in Martini Martini Historia Sinica memini me legere, insignem illum Philosophum Sinensem Confutium septuaginta duos sibi delegisse Discipulos, quorum è numero Duodecim præ cæteris potiori cura instituendos suscepit; sive Ebraicæ Reipublicæ formam secutus, quam Moyses per duodecim tribuum Principes, & septuaginta Senes administrabat; sive jam tum Deo scintillis aliquibus & radiis veritatis animum ejus collustrante, futurum prospiciens, ut Messias, cujus notitiam aliquam ex Librorum sacrorum lectione perceperat, quemadmodum supra monui, ad Moÿis exemplum totidem duces ac magistros Ecclesiæ suæ præficeret.

Confutium Sinensis Philosophus septuaginta duos Discipulos & duodecim in his præcipuos deligit. Martin. Hist. Sinic. libr. 4.

CAPUT XLVIII.

Apostoli Jesu piscatores.

PSALM. 106. 20, 23, 24. *Misti Verbum suum & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.*

Jerem. 16. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.*

Ezech. 47. 8, & seq. *Aque iste que egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aque. Et omnis anima vivens, que serpit, quocumque venerit torrens, vivet; & erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aque iste, & sanabuntur, & vivent omnia ad que venerit torrens. Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi usque ad Engalim siccatio sagenarum erit: plurima species erunt piscium ejus, sicut pisces maris magni, multitudinis nimia.*

MATTH. 4. 18. *Ambulans autem Jesus juxta mare Galilæe, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mares erant enim piscatores; & ait illis, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et Marc. 1. 16, & seq. Luc. 5. 2, & seq.*

Matth. 13. 47, 48. *Iterum simile est regnum calorum sarena missa in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam cum impleta esset educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.*

I. **C**OMMA istud è Psalmo centesimo sexto, non in Messiam solum, sed & in Jesum quoque satis aperte confert R. Isaac Aramæus in Expositionibus libri Numerorum. Nam Verbum Dei ad omnes sanandos missum fuisse dicit, verum ab omnibus non fuisse receptum, sed ab aliquibus tantum tardioris ingenii viris, iisque piscatoribus: qui cum rudes essent & hebetes, veritatem tamen prophetiæ receperunt, & Verbo Dei fidem habuerunt. Quibus Christi Jesu Apostoli manifeste designantur.

Exponitur Psalm. 106. 20, & seq.

CAPUT XLIX.

Paucos numero Jesus deligit.

ISA. 17. 4, & seq. *Et erit in die illa, attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus marcescet. Et erit sicut congregans in messe*

MATTH. 9. 37, 38. *Tunc dicit Discipulis suis, Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat*

aginta
hic al.
Dominus
Christus
s. Jesus,
eis præ-
sente
in ad-
stet, qui
segrega-
dolefecerit
voca-
a ille de
sum mi-
it. Sub-
tribulatione
ortuandi